



6933.

19

1713 ^{cl} 20

DISSERTATIO IVRIDICA
 DE
 VENDITIONE AD CREDENTIAM
 QUAM
 MODERATORE

DN. IO. GEORGIO FICHTNERO
 I. V. D. INSTIT. IMPER. PROF. PVBL.
 ET INCLVTAE HVIVS VNIVERSITATIS
 RECTORE MAGNIFICO

DN. PATRONO AC STVDIORVM SVORVM PROMOTORE
 AETERNO HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PVBlicae DISQVISITIONI
 SVBICIT

D. NOVEMBER. A. R. S. cIo 1713

AVTOR RESPONSVRVS
 HIERONYMVS ECKEBRECHT
 NORIMB.

ALTORFI NORIC.
 LITERIS IODOCI GVILIELMI KOHLESII ACAD. TYPOGR.



DSSERTATIO IURIDICA
DE
VENDITIONE AD CREDITUM

MOENASTRIUM

DR. IO. GEORGIO FICHTNERO
P. V. D. INSTIT. IMPER. BRON. PUBL.
ET INC. TAE HAVII. UNIVERSITATIS
RECTORI MAGNIFICO

DR. MATTHEO DE STUPHORUM HONOR. PROMOTORE
AETERNI HONORIS CAUSA PROFERENDO

PUBLICAM DISCUSSIONI

AVTOR RESPONSIVVS
HILTONYMVS FERBRRECHT
NORIM.

IN THEODOR. STRASSMANN'SCH. BUCHH. DRUCK.





Q. D. B. V.

§. I.



Inter Leges XII. Tabb. quæ ad Contractum nobilissimum & usitatissimum Emptionis venditionis spectant, in primis talis refertur: *Ne res vendita, quamvis tradita, mutet dominium, nisi eas datum* (h. e. pretium annumeratum) sit. Fit hujus legis mentio ab ipso Imperatore in §. *vendita* 41. l. de R. D. eoque pertinet locus Varonis l. 2. de Re rustica. *Grex, inquit, dominium non mutavit, nisi sit eas annumeratum.* Eodem quoque alludit l. 19. ff. de C. E. v. l. 5. §. 18. ff. de Tribut. act. Quamvis igitur alias traditio ex justa causa, sive titulo facta, dominium transferat §. 40. l. de R. D. ubi dicitur: *quod nihil tam conveniens sit naturali equitati, quam voluntatem domini, rem suam in alium trans-*

ferre volentis, ratam haberi. Attamen hujus regulæ velut exceptio quædam hic affertur in re ex causa venditionis tradita, cujus dominium per traditionem non aliter transfertur, quam si pretium solutum fuerit. §. 41. *I. de R. D.* Ratio est, quia hæc mens contrahentium fuisse videtur, & hoc inter eos actum, ut non aliter res emtoris fieret, quam si is pretium solvisset, ne non tam emtio & venditio, quam donatio facta videretur. Ex quo etiam fit, ut actio ex emto non ante competat emtori, ad rem tradendam, quam pretium solverit venditori, qui rem interea quasi pignoris loco retinere potest. *l. 13. §. 8. ff. de ddt. Emi. & l. 14. §. 1. in fin. ff. de Furt.*

§. II.

Et si autem lex XII. Tabb. stricta fuit, & præcise pretium statim solvi voluit; Jcti tamen interpretatione sua eandem ita mitigarunt, ut etiam satisfactio esset loco solutionis: idque ideo, ut tanto major esset libertas commerciorum, in qua salus Reipublicæ consistit. *L. 44. ff. de Usucap.* Et quia non semper argentum præsentarium, seu pecuniam numeratam, ad manum quis habet. Quæ satisfactio variis modis contingere potest, veluti fidejussore, expromissore, vel pignore dato, quin imo quandoque etiam simpliciter fide de pretio habita. *cit. §. 41. Inst. de R. D.* Quod si enim necessitate pretii solvendi in præsentia remissa rem vendere, emtorumque fidem solummodo sequi placuerit, talem venditionem subsistere, & domini translationis effectu gaudere, dubitare nos non sinit quotidiana rerum experientia. vid. Bernh. Wurm.

Wurmser. *L. 1. Pract. Observ. tit. 6. obs. 19.* Joh. Nider.
tr. de Contr. merc. c. 2. n. 8. Angel. Aretin. *ad §. 41. Inst.*
de R. D. n. 2. & segg. Bertazzol. *tr. de Claus. Instr. class. 38.*
concl. 1. n. 10.

§. III.

Vocatur autem illa, de qua etiam in præsentī su-
 mus acturi disputatione, **VENDITIO AD CRE-
 DENTIAM.** Quod vocabulum **CREDENTIÆ**,
 licet apud nullum purioris latini sermonis Auctorem
 reperiatur, & Juri Justiniano quoque incognitum sit.
 Attamen usus a multis seculis jamjam recepit; in-
 super magni nominis Jcti, imprimis practici, illud
 jam dudum in scriptis suis, & quidem diversis in signi-
 ficatibus suum fecerunt, prout videre est apud Calv.
Lex. Jurid. vocab. Credent. Carol. du Fresne *Gloss. med.*
& inf. Latin. tom. 1. voc. Credent. Cui autem vocabu-
 lum hoc **CREDENTIÆ** suos natales debeat, mani-
 festum est: Nam missis aliis derivationibus illud de-
 duci potest a latino verbo *credere*, quod apud Jctos
 in genere denotat, *fidem alienam sequi. l. 1. l. 2. §. 3. ff.*
de R. J. l. 11. ff. de V. S. Inde & Dd. placuit, venditio-
 nem illam, qua fides de pretio habetur, titulo **VEN-
 DITIONIS AD CREDENTIAM** insignire, id-
 que ideo, quod venditor in illa quasi in creditum
 ire videatur, dum de pecunia conventa non in præ-
 senti, sed in futurum solvenda, fidem emtori facit,
 vel ejusdem fidem sequitur, & sub hac fidei habi-
 tione postea per subsequentem traditionem rei ita
 distractæ dominium transfert. Significat igitur hic
 vendere ad credentiam, idem ac alias fidem de pre-
 tio habere, *l. 19. ff. de C. E. V.* vel fidem emtoris sequi.

§. 41. *Inst. de R. D. vel in creditum abire, l. 5. §. 18. ff. de Trib. act.* Germanico idiomate, *Auf Credit handeln / auf Eren und Glauben verkaufen / auf Borg kaufen oder verkaufen.* Tantum saltem de nominali definitione, cetera cum instituti nostri ratio proferre non patiatur, Grammaticis relinquimus, & progredimur ad realem hujus contractus definitionem.

§. IV.

Describi autem potest hæc nostra **VENDITIO AD CREDITIAM**, quod sit *venditio, qua pretii conventi solutionis necessitas remittitur.* Eaque non male dividi potest in *expressam & tacitam.* Illa a voluntate de fide de pretio habenda expresse declarata: hæc vero a consensu ex factis quibusdam aut circumstantiis præsumto dependet. Unde insimul patet, quod causa hujus contractus efficiens principalis post Jus Gentium sit voluntas contrahentium, arg. *l. 1. §. 2. ff. Pact. & l. 1. §. f. de C. E. V.* eaque vel expressa vel tacita. Nam sicuti in aliis, ita quoque in hac materia, voluntas ratione modi, quantum ad creditiam declarari potest vel expresse vel tacite, arg. *l. 2. pr. ff. de Pact.* Expresse, per verba inter præsentis oretenus prolata, quæ certissima signa & testimonium mentis nostræ sunt, *l. 7. §. 2. ff. de Supell. leg.* Hæc enim ita demonstrant voluntatem dicentis, eique inserviunt. *c. 11. caus. 22. quæst. 5.* ut nemo existimandus sit dixisse, quod non prius mente agitavit. *c. l. 7. §. 2. ff. de Supell. leg.* Inde & ad hunc finem voces repertas esse recte statuit Grot, *de F. B. & P. l. 2. c. 1. n. 8.* Carpz. *F. F. p. 3. c. 20. def. 30. n. 1.* Inter ab-
sentes

fentes autem hæc voluntas non minus declarari potest per literas, quippe quæ revera nihil aliud sunt, quam mutæ voces, hinc etiam Epistolæ dicuntur verba in *l. 6. §. 3. ff. de Off. Procons.* Neque enim figura literarum, sed oratio, quam exprimunt literæ, attenditur. Adeo ut placuerit, non minus valere, quod scriptura, quam quod vocibus lingua figuratis significatur *l. 38. ff. de O. & A.* Sic porro & per nuncium contrahentes voluntatem hanc manifestare posse constat, arg. *l. 14. §. ult. & l. seq. ff. de constit. pecun.* Hic enim nuncius est, persona ab alio ad hoc missa, ut alteri absentis, mittentis nomine & loco sibi commissâ nunciet, ita ut sit tantum gerulus verborum mittentis, & ejus commissionem portet tanquam epistolam. vid. *l. 1. §. 1. ff. de Procurat.* Denique & nutum aut manus porrectionem voluntatis veræ ac expressæ quædam indicia & organa esse, & sic ad animi de credentia declarationem sufficere colligitur ex *l. 52. §. f. ff. de O. & A. l. 17. ff. de Novat. l. 22. C. de Fideicomm.* Licet enim nutus non sit vera rerum nota; attamen consensus quoddam est indicium. *Goedl. Comm. Rubr. n. 8. de V. S.*

§. V.

Cum porro & ea, quæ in animis hominum consistunt, & alias difficilis probationis sunt, plerumque ex conjecturis & præsumtionibus colligantur, nec non taciti & expressi in Jure fere idem sit judicium ac effectus, idcirco non minus tacite quam expresse de voluntate vendendi ad Credentiam constare & utriusque contrahentis animum se posse manifestare putamus. Utut enim voluntas hic non ita evidenter, uti verbis,

verbis, ore aut scriptura prolatis, vel nuda sese man-
 fester; attamen ex factis, circumstantiis & signis con-
 currentibus non minus verisimiliter colligi potest,
 vid. Menoch. *de Præsumt.* Qu. 19. & 23. Mascard. *de Pro-
 bat.* Concl. 1415. n. 34. Quæ autem facta & signa sint,
 ex quibus venditio ad credentiam facta præsumi pos-
 sit, apud Dd. hinc inde varia invenire licet. Potis-
 simum vero hujus credentiæ, seu fidei habitæ argu-
 mentum desumunt 1) ex constitutione temporis, si
 nimirum dilatio solutioni expresse præfixa est. L. 3. C.
de Pact. inter Em. vel pecunia libenter non accepta
 rem tolli permissum est L. 5. C. *de Re jud.* Mud. *ad*
L. 19. ff. de C. E. V. Vultej. & Mynf. *ad §. 41. 1. de R. D.*
 2) Ex hypothecæ in re vendita reservatione, quam
 certum argumentum dominii translatis arg. L. 45. ff. *de*
R. I. & sic etiam fidei habitæ existimant, vid. Mev. P.
 4. dec. 780. n. 3. Brunnem. *ad L. 19. ff. de C. E. V.* Carpz.
 P. 2. C. 13. def. 16. 3) Ex relatione in librum rationum,
 prout talis consuetudo in primis apud mercatores ob-
 servatur, prout etiam olim ex mancipatione, ante
 pretii solutionem facta, mancipientis voluntas de fide
 habita colligebatur. Rœvard. *ad LL. XII. Tabb. c. 46.*
vers. quia ea &c. Hillig. *ad Donell. L. 4. c. 16. lit. E.* 4) Ex
 conductione, cum scilicet venditor ab emtore rem
 ipsi venditam, pro certa mercede conducit. arg. L. 77.
de R. V. Franzk. *ad Tit. Loc. Cond. n. 51.* Bachov. *ad Treutl.*
V. 1. D. 29. th. 2. lit. C. 5) Ex L. commissoriæ adjectione,
 arg. L. 5. ff. *de L. Commiss.* Lauterb. *ad h. t. n. 3.* Alias ve-
 ro regulariter fides habita non præsumitur, utut ante
 pretii solutionem res fuerit tradita, quia fidem sequi
 est quasi satis accipere. L. 19. ff. *de C. E. V.* satisfactio au-
 tem

tem cum facti fit non præsumitur. *L. 16. C. de Probation. L. 10. C. de N. N. P.* sed probanda est *L. 12. §. 2. ff. de capt. & postlim. revers.* Siquidem Venditor, merce etiam a se tradita, semper præsumtionem Juris pro se habet Domini non translata *d. §. 41. l. de R. D.*

§. VI.

Progredimur nunc ad *subjectum* VENDITIONIS AD CREDENTIAM, quod constituunt partim *Emtores*, partim *Venditores*. Et quidem quod ad emtores attinet extra dubium est, quod illi omnes, qui hunc contractum inire queunt, eundem & cum hoc pacto celebrare valeant. Cum enim vendere ad credentiam plerumque sit minori pretio vendere, ecquis emtorum non mallet fide de pretio habita, quam præsentis pecunia emere. Sunt tamen aliqui emtores, quorum personæ qualitas præsumtionem habite ipsi fidei excludit, uti sunt v. gr. transituri, ignoti, forenses & similes vid. Brunnem. *ad L. 8. C. de C. E. n. 3.* Quoad venditores Dd. hanc statuunt regulam: quod illi, qui proprio jure & nomine res suas vendere possunt, iidem etiam vendere queant ad credentiam *arg. L. 21. C. Mand. L. 25. §. vi. ff. de Hered. petit.* Ex quo statim fluit, quod illi, qui mandatum vendendi habent & non proprio jure ac nomine, sed alieno ex officii sibi injuncti ratione vel commissa a Domino administratione vendant, ad credentiam vendere nequeant, quia mandata dicuntur strictissimi Juris *§. 8. l. Mand. l. 5. pr. ff. cod.*

§. VII.

Inter has autem personas, quæ fidem de pretio habere nequeunt, referuntur (I). Tutores & Curatores.

B

tores.

tores. Hi enim licet sint dominorum loco, & in rebus pupillorum & minorum plenam administratio- nem habeant. *L. 27. & 48. ff. de Administr. Tut. L. 7. §. 3. ff. Pro emt.* Attamen res minorum immobiles non nisi parata præsentique pecunia distrahere possunt, idque ideo, quia rerum immobilium venditiones in genere prohibita, & demum justa & necessaria cau- sa, urgentis scil. æris alieni aut alia simili, accedente causæ cognitione & iudicis decreto, permissæ sunt. *L. 6. 12. & 1. t. C. de Præd. minor.* Exceptio tamen est in rebus minorum mobilibus, quæ diutius servando ser- vari nequeunt, quas tutores & curatores etiam fide de pretio habita alienare possunt, cum in his rebus mobilibus tempore perituris liberior sit alienandi po- testas, ita ut sufficiat res illas b. f. ac justo pretio alie- nari, quamvis neque causa necessaria & causæ cogni- tio præcesserit. *L. 22. in f. & L. ult. §. fin. C. de Adm. tut.*

§. VIII.

Quod porro & procuratores Fisci nec possint, nec debeant vendere ad credentiam, satis patet ex *L. 5. §. 1. ff. de Fur. Fisc.* ubi si ab eo, cui *Fus distrahendi res fisci datum est, fuerit distractum quid fisci, statim fit emptoris, pretio tamen soluto.* Conf. *L. 1. C. Ne Fiscus rem quam vend. evinc.* Ratio consistit in eo, quia procura- tores fisci limitatum videntur habere mandatum, cu- jus fines diligenter custodire debent, adeo, ut in ven- dendis rebus ipsorum cura commissis, fidem de pre- tio habere nequeant, quoniam & ille, sicuti res mi- norum, non nisi urgente necessitate & observatis so- lennitatibus alienandæ sunt. *Bart. ad L. 15. §. 7. ff. de Re*

Re jud. Eadem dicenda sunt de procuratoribus & administratoribus civitatum, ecclesiarum, hospitalium, arg. *L. ult. C. de vend. reb. civ. L. 14. C. de SS. Eccl. & L. 32. C. de Episc. & Cler.*

§. IX.

Cum & alias subhastationes, ex causa quadam necessaria, in favorem creditorum instituantur, & mediantibus iis, creditoribus instantibus, judicati rigor ad effectum perducatur *L. 8. ff. de Execut. rei jud.* Idcirco & iudices in subhastandis rebus, in executione pro pignoribus captis, fidem de pretio habere non immerito prohibentur *in L. 15, §. 7. ff. de re judic.* ibi: *oportet res captas pignori & distractas presenti pecunia distrabi, non sic ut post tempus pecunia solvatur.* vid. Christin. *v. 3. d. 52. n. 12.* Idque in tantum obtinere dicunt, ut si de facto in subhastatione a Iudice fides de pretio fuerit habita, ista subhastatio ipso jure nulla sit, nec ex ea aliquod jus emtori acquiri possit. Fr. Salgado *Lab. Cred. S. 3. c. 2. n. 3. & seqq.* videatur tamen Carpz. *P. 1. Const. 32. def. 41.* ubi testatur, quod in Foro Saxónico bona sub hasta vendi queant, etiam sub pecunia distinctis terminis solvenda, nisi concurrant plures emtores, quorum unus pecuniam præsentem, alter vero distinctis terminis exsolvendam offerat. Quo casu prior præsentem paratamque pecuniam exsolvens, alteri præfertur, quantumvis minus pretium licitetur. Joh. Baptist. Arin. *in Tr. de Execut. §. 6. c. 4. n. 2.*

§. X.

Denique nec procuratores privatorum ad cre-

dentiam vendere posse putamus. Idque propter magnum, quod hic subesset dominorum præjudicium & periculum vid. *Mud. ad L. 19. de C. E.* Cui accedit, quod mandatum ipsis simpliciter datum ad vendendum, datum censeatur pro parata pecunia, cum nec ipsi principales vendentes alio animo id fecisse præsumantur, adeoque mandati fines, qui semper accurate custodiendi sunt, excederent, si res fide de pretio habita distraherent, nec culpa vacarent, si quid facerent, quod Domini non sunt soliti facere. *L. 11. de N. G.*

§. XI.

Subiectum venditionis ad credentiam nunc excipit ejusdem *objectum*, quod constituunt res, quæ sunt in commercio hominum, siue sint mobiles siue sint immobiles aut sese moventes *L. 12. C. de R. V.* corporales aut incorporales, universales aut singulares *l. 1. ff. de C. de A. vel A. P.* præsentis & futuræ *arg. L. 3. pr. de S. l. ff. de C. E. V.* propriæ & alienæ *arg. L. 11. §. 2. ff. de A. Em. Vend. L. 30. §. f. ff. eod.* Et quidem regulariter parum interesse videtur, utrum prædictæ res sub nummorum præsentis solutione, an vero sub fide de pretio habita vendantur atque alienentur, modo non tales sint, quæ propter inhærentem aliquam qualitatem vel extrinsecus supervenientem absque parata pretii solutione distrahi aut vendi nequeant, uti sunt in genere res omnes, quæ alieno nomine & ex urgente tantum quadam necessitate vendi possunt, v. gr. res Ecclesiæ & aliorum piorum locorum. *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl.* Res minorum immobiles & mobiles, quæ scilicet servando servari

pos-

possunt *arg. L. 5. §. 9. ff. de rebus eorum, qui sub tut.* Item
res pignori captæ *arg. L. 15. §. 7. ff. de Re jud. & res fiscæ*
arg. L. 5. §. 1. ff. de jur. Fisc.

§. XII.

Præter rem, ad emtionis & venditionis hujus
objectum ex parte emtoris requiritur etiam pretium
§. 1. l. 1. & L. 2. §. 1. L. 72. ff. de C. E. V. Cujus solutionis
necessitas, cum non in præsens exigatur, sed dilatio-
ne concessa in futurum differatur. Idcirco licet alias
ad contractus emtionis venditionis Justitiam perti-
neat, ut legitima proportio sit inter mercem venden-
dam & pretium; attamen hoc in præsentia, ratione di-
lationis ad solvendum datæ, aliquod augmentum ac-
cipere solet: idque cum primis hodie apud omnes mer-
catores frequentissimum ac usitatissimum esse quoti-
diana satis demonstrat experientia, vid. *Vasqv. Cont.*
Ufu frequ. L. 3. c. 50. num. 50. confer. Carpov. P. 3. dec.
275. ubi eleganter docet, quomodo ista auctio fieri
& inter usurarium computari & deduci possit, conf. *Go-*
thofr. ad L. 22. ff. d. leg. 2.

§. XIII.

Quoad formam venditionis hujus ad credentiam,
hoc principaliter monendum venit: quod illa eo di-
rigenda sit, ne venditor pretium alias ex lege hujus
contractus debitum ab emtore statim exigat, sed sine
exceptione pretii non soluti, alias quidem compe-
tente, rem venditam confestim tradat. *L. 13. §. 8. ff. de*
A. E. V. ejusque dominium fide de pretio habita in
emtorem transferat. *d. §. 41. l. de R. D. L. 19. ff. de C. E. V.*

Cum vero hoc modo contrahere, quoad venditorem maxime periculosum, & nihil magis quam fidem fallere frequens sit: idcirco prudenter agunt ii, qui sibi in casum non servatæ ab emtore fidei, tam quoad affecurationem pretii, quam quoad evitandas & superandas lites, quæ sæpius fide de pretio habita, & de dominio translato, inprimis in concursu creditorum, ratione prolationis oriri solent, per pacta tam suspensiva quam resolutiva prospiciunt, sibi que aliquod jus, vel ipsius dominii, vel hypothecæ in re vendita reservant. Talia enim pacta valere, vimque suam retinere, usque dum totalis pretii solutio subsecuta fuerit, & nihil amplius ex illo desit, extra dubium est: cum quilibet rebus suis legem dicere, adeoque in earum alienatione & traditione, quæcunque pacta juri non contraria adjicere possit. *L. 20. §. 2. ff. de Pact. dotal. L. 48. ff. de Pact. L. f. C. de Pact. inter Emt. & Vend.*

§. XIV.

Progredimur nunc ad effectus hujus venditionis, ubi primo & generaliter notandum, quod hic Credentia tantum operari soleat, quantum alias vera ac realis pretii solutio. Quia paria hic censentur, solutum esse pretium, & fidem de pretio esse habitam, juxta cit. §. 41. *I. de R. D. L. 19. & L. 53. ff. de C. E. V.* Unde statim & ab eo quasi momento, quo hæc venditio ad credentiam perfectionem suam accepit, etiam emtori facultas agendi competit adversus venditorem ad contractum ex debito modo implendum, adeo quidem, ut venditor neque exceptionem pretii nondum soluti amplius opponere, neque rem

rem venditam penes se retinere valeat, sed eandem præcise tradere teneatur. *cc. LL.* Postquam enim semel emtori, suam voluntatem de fide habenda declaravit, per hoc etiam juribus suis renunciassè, seque ad traditionem mox subsequendam tacite obligassè præsumitur, & sicuti alias ad renunciata non datur regressus, ita nec hoc casu venditori renuncianti redire licet ad hoc, cui factò suo renunciavit. *L. 75. ff. de R. J. c. 33. de R. J. in 6. L. 12. C. de R. C. L. 9. ff. de N. G.* Ex quo sua sponte fuit, quod venditor rem venditam tradere differens, eo ipso in mora constituatur, ac propterea omne tam deteriorationis quam interitus periculum in se suscipere teneatur. *arg. L. 4. & f. C. de Per. & comm. rei vend. Brunnem. ad L. 13. C. de A. E. V.*

§. XV.

Quod vero ea, quæ de emtore in præcedenti §. dicta sunt, ratione venditoris non eodem inodo procedant, ex superius dictis facile conjicere licet, nam eo ipso, quo fides emtori de pretio fuit habita, insimul ejusdem solutionis dilatio fuit indulta, quapropter licet virtualiter venditor ad pretium conventum solvendum habeat actionem, nondum tamen habet exactiorem, h. e. durante ista dilatione, actionem hanc in judicium cum effectu deducere nequit, cessit quidem dies, sed non venit *L. 213. ff. de V. S.* & quidem hic parum interesse videtur, utrum a venditore res tradita sit, an vero non, quia ex parte venditoris exercitium actionis, non ratione implementi contractus, sed secundum dilationem concessam dijudicare debemus. Adeo ut si certum tempus pretii solvendi sit statutum, venditor ante lapsum hujus temporis age-

re

re nequeat, nisi præmaturius agendo, non solum a limine iudicii repelli, sed & simul poenam pluris petitionis incurrere velit. §. 33. l. de Act.

§. XVI.

Porro inter effectus hujus credentiae, & quidem in specie eo casu, quo traditio ipsa ex hujusmodi venditione subsecuta est, inprimis & hic referri potest, quod mediante hac traditione non solum rei venditae possessio, sed etiam dominium in emtorem transferatur, cit. §. 41. ibi: *Sed si is, qui vendidit, fidem emtoris secutus fuerit, dicendum est statim rem emtoris fieri.* Inst. de R. D. Dummodo, quod hic præsupponimus, res hoc modo vendita & tradita in bonis venditoris. vid. l. 11. §. 2. ff. de A. E. V. & ab alterius cujuslibet possessione civili vacua sit. l. 8. in fin. C. de A. E. V. Nam quando ipse venditor rem non possidet, sed alius in ejusdem possessione constitutus est, utique hoc ipsum impedit, quo minus res illa vere tradita intelligi & per traditionem factam dominium in emtorem transire queat. L. c. 8. C. de A. E. V. L. 1. §. 1. l. 18. §. 2. ff. de A. A. P. l. 18. pr. ff. de vi & vi arm. l. 12. C. de Probat. Quod si vero res vendita (prout supposuimus) ab omni possessione civili vacua, tradita sit, tunc ejus dominium in emtorem transfertur, ut venditori nullum amplius jus competat, vi cujus regressum ad rem venditam recuperandam instituere possit. Marq. de Jur. Merc. l. 2. c. 12. n. 54. Et licet Emtor in mora constitutus fidem fallat, & ex sua parte conventioni satisfacere detrectet, alienatio tamen hæc ob id minime rescindi potest. l. 14. C. de Resc. vend. Neque etiam venditor ullam

ullam actionem habet, qua rem traditam, licet in bonis emtoris adhuc extantem repetere valet, sed ipsi tantum actio venditi competit ad pretium consequendum. *l. 12. C. de Resc. vend. l. 8. C. de A. E. V. l. 3. C. de Pact. inter E. & V. Brunnem. ad c. l. 8. C. de A. E. n. I.*

§. XVII.

Circa prædictum effectum autem hæc præcipua vertitur quæstio: *Num is, qui hoc modo rem vendidit, & pretium ab emtore consequi non potuit, in concursu creditorum de prioritate contendendum aliis præferendus sit?* Nos non attentis iis, quæ alias pro coloranda venditoris causa afferuntur, venditori nullam nec in re vendita, nec aliis obæratæ emtoris bonis, prærogativam competere putamus. Idque ideo, quia si venditori aliqua competeret prælatio, illa ipsi vel domini vel pignoris jure competat, necesse est. Ast jure domini nullam ipsi competere constat; siquidem per traditionem ex causa habili factam, dominium rei traditæ amitti, at illi, cui traditur, acquiri, juris est notissimi, per textus supra allegatos: Et licet in re vendita paulo secus se habeat, nec per traditionem dominium rei venditæ statim emtori acquiratur; sed in super pretii solutio desideretur, si tamen de pretio fides sit habita, domini translationem fieri, docemur ex *c. §. 41. Inf. de R. D.* Quod cum ita sit, & propter fidem de pretio habitam, (de quo casu nobis hic sermo est) dominium a venditore in emtorem sit translatum, nullam amplius venditori rei venditæ vindicationem competere consequens est: quippe cum vindicatio

C

præ-

præsupponat dominium, & non nisi domino competat. §. I. *Inst. de Action. l. 23. ff. de R. V.* Nec etiam jure pignoris venditor prærogativam habere potest, quia deest lex, qua ipsi jus hypothecæ in re vendita & sub fide tradita constituatur; certi quippe sunt casus, quibus pignus vel hypotheca tacite constituitur, quibus nusquam annumeratus invenitur is, de quo agimus.

§. XVIII.

Porro & illud non immerito hic disquiritur: *An emtor, re ex venditione ad credentiam sic tradita, ad usuras pretii retenti obstrictus fiat?* Et quamvis alias haud ignotum sit, emtorem fide de pretio non habita, statim post diem factæ traditionis in mora constitui, & eapropter officio judicis venditori ad usuras pretii præstandas teneri. *l. 13. §. 20. ff. de A. E. V. l. 18. §. 1. de Usur. l. 2. C. eod.* Attamen in præsentem paulo antea dicta, usuræ in contractu emtionis venditionis non aliter quam ob moram ab emtore admittam debeantur, & vix unquam, nisi de iis conventum sit, exigiqueant: idcirco exinde facile est judicare, quod etiam illorum petitio, fide de pretio habita ac solutionis præsentis necessitate remissa, propter dominium verum vel fictum translatum nullatenus locum habere queat: cum emtor pendente hac dilatione ob id, quod ex consensu venditoris fiat, in mora constitutus dici non possit. Nulla enim mora ibi fieri intelligitur, ubi nulla est petitio. *l. 30. ff. de R. F. c. 60. de R. F.*

R. F. in 6. Item is non videtur in mora esse, a quo p̄cunia propter exceptionem peti nequit. *l. 40. in fin. ff. de R. C.* Quod si tamen venditoris interpellatio iuste fuerit interposita, quin tunc emtor in mora constitui, & ea propter ad usuras quoque pretii ad interpellationem non soluti, obligari possit, nullum est dubium. *Franzk. ad tit. de A. E. V. n. 433.* Item si certum tempus solutioni præfinitum sit, tunc ne quidem expressa venditoris interpellatione opus esse putamus, cum & hic dies satis interpellat. *p. l. 12. C. de Contr. stipul.*

§. XIX.

Quamvis autem, sicuti hucusque demonstravimus, traditio in hac emtione tantæ virtutis & efficacæ sit, ut per eam dominium sive aliud Jus in re emtori regulariter acquiratur; Aliud tamen dicendum, si venditores per pacta in securitatem pretii sibi prospexerunt, & sibi in re vendita, vel dominium, vel hypothecam reservarunt. Quo casu cum ejusmodi pacta eo tendant, ut rei venditæ dominium etiam post traditionem tamdiu penes venditorem remaneat, quoad universum pretium persolvatur, tantum abest, ut ante solutionem factam emtor dominium per hujusmodi traditionem acquirat, ut potius illum in nuda possessione saltem esse & rem duntaxat detinere dicendum sit, prout docet *Schilter. Prax. Jur. Rom. Exerc. 30. §. 55.* Inde etiam venditorem, in casum pretii non soluti, rem venditam non solum ab emtore moroso, sed etiam alio quocunque possessore vindicare

care posse, dubitandum non est, arg. *l. 3. C. de Pact. inter E. & V.* Cum enim dominii reservatio, translationem ejusdem impediatur, utique nec tertius possessor ab eo id, quod non habet, poterit consequi: quia nemo plus juris in alium transferre potest, quam quod ipse habet. *l. 54. ff. de R. D.* Ex quo porro sponte fluit, quod etiam vi hujus reservati dominii, in concursu aliorum emtoris creditorum, venditoris causa potior sit, sic ut ipsi res vendita, si adhuc extet, ante omnia restituenda veniat. arg. *l. 5. §. pen. ff. de Act. Trib. l. 1. C. de F. Fisci. Carpz. P. 1. C. 28. D. 21. Mev. P. 6. Dec. 293. num. 3.*

§. XX.

Similiter venditorem in re vendita, aliis obæratum emtoris creditoribus etiam in eo casu præferendum esse, existimamus. Si venditio sub conditione fidejussoris pro pretio dandi, facta sit. Quod ut eo melius intelligi queat, formandus erit casus, v. g. Titius Sempronio prædium vendiderat ea lege & conditione, ut pro pretio & in securitatem solutionis idonei fidejussores dentur. Emptore cessante, nec legi contractus satisfaciente, alius quis ex emtoris creditoribus immisionem in bona emtoris & in specie in prædium prædictum petiit & impetravit. Interventit Titius venditor, petens immisionem cassari & prædium sibi

sibi restitui, aut certe de pretio prius satisfieri. Quæsitum quid Juris? Et quidem contra Titium Venditorem hic pronuntiandum esse, non immerito quis existimare posset, quia ipsi hoc casu nulla prælatio vel Jure domini vel pignoris competere potest *L. 1. §. fin. cum leg. sequ. de Reb. cor. qui sub tut. vel cur. sunt. sine decret. non alien. & l. 12. C. de Rei vind. ubi Imp. Dioclet. & Maxim. rescripserunt: Incivile atque inusitatum est, quod postulas, ut mancipium quod tradidisti & eo modo dominium ejus transtulisti: Invito eo ex nostro rescripto tibi assignetur. Sane de pretio, si non hoc ante probatum fuerit te recepisse, conveni adversarium tuum.* In eandem sententiam iidem rescripserunt in *L. 6. C. de Act. Emt. & L. 14. C. de Resc. Vend.* Cui insuper accedit, quod Venditor rem venditam emtori pure & simpliciter sine ulla domini reservatione tradidisse, adeoque fidem de pretio habuisse videatur: uti contra Fabrum & alios in *§. 47. Inst. de Res. Divis.* tenet Menoch. de *Præsumpt. L. 3. Præsumpt. 79. num. 4.* quem ad hoc allegat & sequitur Modest. Pistor. *Illustr. Quæst. S. 2. Qu. 60. num. 15.* Unde quod Ulp. in *l. 5. & l. 18. F. de Tribut. Act.* de casu haud ab simili respondit: Vindicatio locum non esse, quando Dominus rei alienatæ in creditum ivit: idem & hic in casu præsentis respondendum videtur, ivisse nimirum venditorem in creditum, eo ipso dum pretium conventum ad instar

C 3

mutui

mutui apud emtorem esse fivit, adeoque rem venditam nullo Jure repetere & vindicare posse: siquidem si in creditum ire, & fidem de pretio emtori habere noluisse, aperte ea de re protestari debuisse, ut ita quemadmodum alias protestatio interposita, Jus competens conservat: sic e contrario ejus intermissio, competentis juris amissionem operetur. Anton. Gomez. *l. 2. Resolut. cap. 13. n. 12.* Kirchov. *Cent. 6. concl. 82.* Guid. Pap. *decis. 172. n. 2.*

§. XXI.

At his & aliis, quæ pro defendenda causa immitti creditoris afferri possunt, non attentis, nihilominus pro venditore pronuntiandum esse autumamus: non quidem intuitu alicujus pignoris, venditori in re vendita competentis, sed attendita dominii causa. Quamvis enim venditor, emtore pretium non solvente, ad rescindendum contractum agere nequeat, neque rem venditam vindicare, sed necesse habeat ad solam pretii solutionem agere, *L. 12. C. de R. V. L. 6. C. de A. E. V.* Attamen istud hæcenus obtinet, si fides de pretio emtori simpliciter est habita. Contra vero si fides emtori de pretio habita non sit, dominium rei venditæ, in emtorem traditione non transferri; sed penes venditorem manere, supra docuimus *ex l. 19. ff. de C. E. V.* Atqui hoc nostro casu, nec pretium est solu-

solutum, aut satis eo nomine factum, nec etiam venditor fidem emtori habuit; cum enim venditor animadvertet, emtorem paratam pecuniam non habere, rem venditam ipsi tradere noluit, nisi fidejussorem in securitatem solutionis certo subsecuturæ emtor venditori constituat: quod cum emtor in se receperit, at non præstiterit, nec conditioni appositæ satisfecerit, res vendita pro non tradita habetur, nec dominium in emtorem translatum censebitur. *§. 41. Inst. de R. D.*

§. XXII.

Unde quod supra afferebatur: rem venditam emtori sine ulla dominii reservatione traditam, adeoque fidem emtori de pretio habitam fuisse: sponte corrui; siquidem theoricæ illa, qua venditor rem venditam sine reservatione dominii tradens, emtoris fidem sequi præsumitur, in dubio obtinet; Atqui nostro casu, de mente venditoris nihil subest dubii, quippe qui pretium sibi solvi, & in securitatem solutionis sine mora subsecutura, fidejussorem sibi dari voluit, adeoque fidem emtoris sequi se nolle satis aperte declaravit. Neque proinde, quod Ulpianus in *l. 5. §. 18. ff. de Tribut. act.* respondit, huc quadrat: cum constet, venditorem hic in creditum ire noluisse, cui consequens

quens est, rem venditam ipsum recte vindicare posse
 juxta eundem Ulp. in *d. §. 18. ubi si in creditum*, inquit,
non abiit, vindicare rem venditam non prohibebitur. Nec
 quicquam ipsi oberit, quod protestatus non sit de
 non transferendo dominio, siquidem protestatio de
 iis, quæ tacite insunt, facta nihil operatur. arg. *l. 3.*
C. de Fidejuss. Nov. 99. in pr. ita nec ommissio protesta-
 tionis præjudicat in iis, quæ ipso jure competunt,
 vel alias nobis sunt salva: quod magis hoc nostro
 casu procedere potest ac debet, quia de mente ven-
 ditoris, quod fidem emtoris sequi noluerit, exinde
 satis constat, quod fidejussorem de pretio sibi dari
 petiit, & ideo protestatione opus non fuit, &
 facta supervacua extitisset.

S. D. G.







ULB Halle
005 353 122


3



SB







Farbkarte #13

B.I.G.

1733.

19

1713 cl 2

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
VENDITIONE AD CREDENTIALIAM
QVAM
MODERATORE
DN. IO. GEORGIO FICHTNERO
I. V. D. INSTIT. IMPER. PROF. PVBL.
ET INCLVTAE HVIVS VNIVERSITATIS
RECTORE MAGNIFICO
DN. PATRONO AC STVDIORVM SVORVM PROMOTORE
AETERNO HONORIS CVLTV PROSEQVENDO
PVBLICAE DISQVISITIONI
SVBIIICIT
D. NOVEMBER. A. R. S. cIo 1713 XIII
AVTOR RESPONSVRVS
HIERONYMVS ECKEBRECHT
NORIMB.

ALTORFI NORIT.
LITERIS IODOCI GYLIJELMI KOHLESH ACAD. TYPOGR.

